

dona operatur. Quando vero symoniacus dicit ad populum: 'pax vobis', non dicit: 'pax mea vobis', set pacem Dei orat a Deo eis concedi^a et *si quis fuerit inter eos filius pacis*, utique *requiescet super eum pax Dei*.¹ Si autem non fuerit inter eos filius pacis, et infructuose dicitur; hoc minime fit culpa illius, a quo caritative oratur, set culpa illius, super quem imprecatur.

27 Item beatus Ambrosius dicit: qui dat pecuniam pro ordinibus episcopo, quid sumit ab episcopo? Leporam inquit, non gratiam. Plane id ita esse credimus. Qui enim, que sancta sunt, datione auri et argenti tradit, datione auri et argenti sumit, indigne ille tradit, indigne iste sumit, ad perniciem et ad iudicium sibi ille tradit, ad perniciem et ad iudicium sibi ille sumit: tamen sacra sunt et que ille tradit et que iste sumit, sicut de corpore Christi constat. Qui indigne tradit, iudicium sibi tradit, qui indigne sumit, iudicium sibi sumit, tamen corpus Christi et ille tradit et iste sumit. Nisi enim aliquid sacri usurpando vel ille traderet vel iste sumeret, unde vel ille tradendo vel iste sumendo puniretur?

28 Que inquires sacra? Ipsa ut tu ipse dicere soles exteriora sacrorum officiorum signa, que tunc ceperant, gratia Dei fructuose traduntur, fructuose sumuntur, quando in neutra parte quicquam aliud consideratur, nisi ut serviendo Deo amor eius et gratia inde optineatur. Unde dominus in evangelio: *si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit*.² Quia vero sic male traditus ordo iniuste traditur iniuste sumitur et ad perniciem usurpando tenetur, exigente iusticia necesse est, ut admittatur^b, donec *digno penitentie fructu*³ gratia Dei optineatur et tandem debito iure exequendi officii gradus restituatur. Quod ubi restituitur, alia reiteratione consecrationis res non indiget, set sola per manus episcopi impositionem reconciliatione opus est. Sicut enim quando deponitur, ipsa singulorum ordinum signa sibi tolluntur, ita quando restituitur, eadem singulorum ordinum signa sibi redduntur et sic per debite benedictionis gratiam Deo reconciliatur.

29 Precor attende. Precepit dominus Moysi ut omnia utensilia templi debito ritu sacrarentur, aliter vero Deo indigna atque prophana haberentur. Legimus tamen in libro Numeri⁴: *Locutus*

^a) concedit

^b) admittatur

¹) Cf. Luc. 10, 6.

²) Matth. 6, 22. 23.

³) Cf. Luc. 3, 8.

⁴) Num.